

J. N. J.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
POTENTIA DEI.

Quam
Amplissimi, atque Spectatissimi Senatus Phi-
losophici benivolo indultu

PRÆSES
M. FRANCISCUS WOLFIUS,
STRALSUNDENSIS.

&
Respondens
JOHANNES GEORGIUS
SYBELIUS, SUSATO VVESTPHALUS

publicæ eruditorum disquisitioni
In Acroaterio Philosophico
subjiciunt.
Horis locoque consuetis.
Ad Diem Decembris.

J E N Æ,
Typis Samuelis Adolphi Mülleri
ANNO 1669.

18.

LXXII. 552

Coll. diss. A
238, 18

Diss. A. 238 (18)

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

POTENTIA DEI

QUAM

Amplius, quam Spectabilissimus Senator Pbi-
losophiæ. Petrus in dicitur

PRESSES

M. FRANKENSCHE WOLFF

STRALSUNDENSIS

et

Receptor

JOHANNES SYBELLUS
SYBELLUS, SENATO VESTPHALIS

in dicitur

In Aeronetio Philosophico

liberum

Hortus botanicus

et dicitur

LEWIS

Typis Sautschis Adolphii Mülleri

Anno 1769

18

4





J. N. J.

DE POTENTIA SUMMI DEI.



§. 1. Considerationem de aliqua re suscepturis in more plerumque positum esse solet, ut certos sibi præfigant cancellos, intra quos ipsorum opera sese contineat, ut primo statim intuitu quilibet possit intelligere quid in tractatione aliqua possit expectari. Idem

mihî de POTENTIA DEI brevissimam tractationem aggressuro factitandum arbitror. Primo igitur quæram de existentia Potentiæ in Deo, an scilicet aliqua in Deo sit potentia? Hinc progrediar ad qualitatem potentiæ divinæ, & variis adductis potentiæ speciebus determinabo, qualis & quæ, & quæ non in Deum cadere possit potentia? Quo peracto disquiram quomodo potentia sit in Deo? Deinde ad magnitudinem potentiæ divinæ, & tandem ad ipsam quidditatem ejus secundum nostrum concipiendi modum perdem promovebo. Sed omnia pro ratione temporis, brevissimis. Potentissime Deus largire potentiam de tua potentia dignis modis ut differere valeam.

§. 2. Primam igitur quod concernit quæstionem de potentiâ Dei, hîc, ut eò melius ea intelligatur, ante omnia videndum, quid sit potentia in sua generalitate. Solent autem autores antequam hoc

ipsum determinant, potentiaæ æquivocationes adduce-
re & distingvere inter potentiam *ἢ ἡ ἄρα δυναμις* seu trans-
lationem, & inter potentiam proprie dictam. Ad il-
lam referunt potentiam Logicam, Mathematicam,
ipsamque interdum objectivam, harumque conceptum
communem in quadam non repugnantia collocant.
Hinc potentiam proprie dictam per descriptionem ali-
quam divisivam & cum disjunctione vocare solent eam
quâ aliquid aptum est agere quippiam vel pati. Et
cum videant nondum sat universalem hanc esse descri-
ptionem potentiaæ proprie dictæ ut sic, eximunt ab eâ
potentiam corruptivam & annihilativam, item produ-
ctivam aliquam non causalem in divinis. Quic-
quid de eo sit, placet nobis impræsentiarum adhærere
ipsi vocis significationi, quæ videtur esse universalissi-
ma & de se ad nullam speciem determinata.

§. 3. Scilicet videtur potentia nihil aliud esse
quam principium quo aliquid aliquid potest. Dico
(a) principium, quæ vox habet rationem conceptus
generici, in quo quicquid est potentiarum, suo quæque
modo, conveniunt, cum iis quæ non sunt potentiaæ,
& vocantur actus. Est autem vox principii latissimæ
significationis, & ad latitudinem supertranscendentis
um pertinet cum tam de non entibus quam entibus
possit verificari. Recte enim non ens dicitur principi-
um cognitionis humanæ, & privatio in Schola Peri-
pateticorum principium transmutationis corporis na-
turalis audit. (β) Reliqua quæ subjunguntur sistunt
conceptum proprium potentiaæ. Dicitur autem in eo
(1.) quo ut significetur de ratione potentiaæ esse, ut si
principium quo alicujus quod potest, quamvis inter-
dum ipsa potentia in casu recto ut principium quod
efficitur

efficitur

efferatur: dicitur (2.) *quo aliquid potest aliquid*, quo ipso præscinditur ab eo, an terminus potentia sit re an vero sola ratione à potentia distinctus, item ut insinuetur non requiri præcisè ad potentiam ut sit ens actuale. Atque in hac universalitate conceptus potentia videtur verificabilis non tantum de potentia activa, & passiva, sed etiam de corruptiva, annihilativa, productiva non causali, Logica, Mathematica, objectivâ, imò in universum de quacunque, imaginabili etiam, potentia. Quælibet enim aut est, aut saltem concipitur per modum principii quo id cuius dicitur potentia aliquid potest. Sic potentia objectiva concipitur ut principium quo ens mere possibile potest aliquid i. e. potest existere, & sic consequenter in aliis.

§. 4. Quibus præmissis redeo ad quæstionem *an sit potentia divina*. Quæritur igitur an sit vel saltem concipiatur in Deo tale aliquod principium, quo quomodocunque aliquid potest? Quæ quæstio dupliciter potest intelligi: (a) An viator stans præcisè in lumine naturali cognoscere possit esse potentiam in Deo? (b) an viator adjutus lumine gratia potentiam in Deo esse possit cognoscere? Posteriori modo intellecta quæstio ex scripturis secundum legem communem hujus temporis est dijudicanda, cum objectum formale primam veritatem revelantem agnoscat. Ubi quidem licet affirmativa sit verissima, & formaliter pariter atque virtualiter passim in sacro Codice contineatur, nostrum tamen hoc loco non est ex hoc objecto quæstionem decidere.

§. 5. Circa quæstionem priori modo intellectam Philosophi qua talis officium & iudicium requiritur. Probè autem videndum, ne cum hac, altera, quæ est de

omnipotentia Dei, an scilicet naturali lumine probari possit omnipotentia Dei, confundatur. De hac enim quæ est de omnipotentia Dei non una est Autorum sententia. Doctor subtilis in *1. sent. dist. 42. quest. unica pag.* exemplaris quod fuit ad manum, 1181 & seqq. postquam distinxerat inter omnipotens quod potest in omne possibile mediatè vel immediatè agere, & inter omnipotens propriè Theologicè, prout omnipotens dicitur, qui potest in omnem effectum ita immediatè, & in quodcunque possibile, hoc est in quodcunque quod non est ex se necessarium, nec includit in se contradictionem, quod sine omni cooperatione cujuscunque alterius causæ agentis, subjungit: *hoc modo omnipotentia videtur esse credita de primo efficiente, & non demonstrata,* & hoc ibidem probat & latius deducit. Eundem sequitur Johannes de Rada controversè inter Thomam & Scotum *part. 2. cont. 2. a. 4. pm. 49.* & Johannes Poncius, in tantum, quod involvat quæstio hæc de omnipotentia Dei productionem Angelorum & mundi ex nihilo, & Scotus explicari possit de demonstratione propriè dicta vid. eum comment. in quæstionem Scoti supra citatam p. 1187. in fine.

§. 6. Franciscus Suarez *part. 2. Met. disp. 30. sect. 17 n. 25. pm. 139.* distinguit, inter cognitionem naturalem omnipotentia Dei formaliter, & materialiter simul talem. Illam vocat cognitionem secundum præcisam rationem formalem omnipotentia, quatenus est potentia ex se habens efficaciam ad omne possibile, seu quod ex se non repugnat. Hanc dicit, cognitionem distinctam hujus rationis applicatæ ad singulos effectus qui possunt per omnipotentiam Dei fieri. Priori modo verius existimat posse ratione naturali cognosci Deum

1180

1181

Deum

Deum esse omnipotentem, posteriori vero modo non
posse.

§. 7. Sed uti dictum hæc quæstio à nostra in eo
differt, quod in hac jam supponatur aliqua potentia in
Deo, tantum quæritur de extensione hujus potentia, &
an illa quæ in Deo est potentia, & ad omnia possibile
extenditur, naturaliratione possit cognosci? Fustibus
& non rationibus excipiendum esse putat qui Deum,
ejusque potentiam abnegare audeat Vir Ampliss. & Ex-
cellentiss. Dominus Joh. Christ. Hundeshagen / Log. &
Phil primæ P.P. Præceptor meus venerandus in differ-
tationis præmio de hac materia nuper habitæ. Inte-
rim dari in Deo potentiam aliquam ex sana ratione o-
ptimè probatur procedendo per viam, ut vocant, cau-
salitatis. Sicuti enim, ne in infinitum fiat progressus
in efficienti causa, tandem ad causam omnium pri-
mam lumen naturale deducit; ita simul idem objectum
formale nos deducit ad potentiam in illa causa agno-
scendam. Implicat enim dari causam efficientem, &
tamen nullam habere potentiam. Præterea videmus
potentiam quandam in creatis dicere perfectionem, e-
jusque remotionem magnam in aliquo ponere imper-
fectionem. Quicquid igitur perfectionis in creaturis
reperitur, illud omne in causam primam merito refe-
rendum esse sana dicitur ratio. Conf. Thom. p. 1. Sum-
mæ Theol. q. 25. a. 1. o. qui idem intentum ex summa ac-
tualitate & perfectione probat.

§. 8. Ad secundum, quo quærebatur: Qualis in Deo
sit potentia? ut rite procedatur, notandum, Potenti-
am ut sic, & in sua generalitate spectatam, præcisivè à
perfectione & imperfectione abstrahere, & ad utram-
que indifferenter se habere, uti consideranti allaram
descri-

msb

descri-

descriptionem patebit. Abstrahit autem non effecti-
vè, hoc enim potentiaè ut sic tribuere esset absurdum,
sed formaliter, dum in sua ratione nec perfectionem
nec imperfectionem importat, & quidem abstrahit
præcisive, dum neutrum ita includit ut tamen ad u-
trumque se indifferenter habeat, &, casu quo contra-
hitur, cum utroque sit compossibilis. Ex quo liqui-
dum est Deo potentiam ut sic non esse tribuendam.
Quamvis enim per hoc formaliter nulla in eo ponere-
tur imperfectio si ei tribueretur, ob illam indifferenti-
am tamen ad imperfectionem, ei non potest tribui, quia
ejus potentia ita est perfecta, ut planè ab omni imper-
fectione abstrahat, & omnino incompossibilis cum
eâ sit.

§. 9. Ea vero quæ sub potentiâ ut sic, tanquam
inferiora continentur, habent aut perfectionem, aut
imperfectioem. Unde rursus in propatulo est qualis
nam potentia Deo sit tribuenda? Cum enim intelle-
ctus noster auditâ voce Deus, feratur super aliquod Ens
in eo excellentiæ & perfectionis gradu constitutum, ut
nihil melius aut sublimius eo esse aut cogitari possit,
certissimum manet omne id quod imperfectionem di-
cit, in quantum eam dicit Deo non esse tribuendum,
contra vero omne id quod perfectionem aliquam ha-
bet, in quantum habet Deo optimè posse adscribi.
Quid? quod si potentia in sua generalitate Deo attribui
nequit ob illam cum imperfectione virtualem com-
possibilitatem, licet eam actualitet non includat, mul-
to magis Deo non poterit attribui id quod ipsam im-
perfectionem formaliter & actualiter continet.

§. 10. Restat igitur ut dicamus solam potentiam
perfectam in quantum est perfecta, in Deo esse ponen-
dam

dam. Illud vero facilimè probatur, quia nulla perfectio potest esse in effectu, quin eadem aliquo modo in sua causa contineatur. Jam vero fixum & immotum est Deum esse supremam omnium rerum causam, & sic efficienter omnes perfectiones in creaturas influxisse; Manet igitur omnes perfectiones aliquo modo esse in Deo, & per consequens, potentiam perfectam etiam esse in Deo.

§. 11. Quæ vero potentia perfectionem dicat, quæ imperfectionem, disquirendum venit. Hoc enim nisi cognoscatur, minus bene intelligi poterit quænam in specie potentia Deo sit tribuenda, quænam verò removenda ab eo. Incipiendo igitur à potentia illâ quam translatitiam & impropriam dicunt, dicendum puro quandam ex numero earum non posse Deo tribui, quandam verò posse. Potentia quæ vocatur objectiva, & nihil aliud est quam non repugnantia ad produci, Deo absolute repugnat ob suam imperfectionem. Hæc vero imperfectio consistere videtur in negatione positivitatis cum non repugnantia ad produci à causa à se distincta essentialiter, saltim numericè. Quia autem Deus ita est, ut non possit non esse, sitque à se ipso, ipseque sit suum esse, necessario sequitur, esse in potentia objectiva ipsamque potentiam objectivam ipsi planè repugnare. Alio quidem significato si accipiatur potentia objectiva, utique Deo est convenientissima & maximè debita, in quantum scilicet potentia objectiva dicitur quo ens aptum est ad esse objectum alterius potentia v. g. cognoscitivæ Sic Deus habet potentiam objectivam, in quantum concipitur aptus esse qui terminet intuitivam sui cognitionem, quando comprehensores aliquando futuri sumus, ubi cum à facie ad faciem sumus visuri, & non amplius abstractivè.

B

§. 12.

§. 12, Porro quod ad potentiam Mathematicam attinet, de ea, an Deo tribui possit, ex eo est determinandum, quod dicant Autores eam per terminationem quantitatis ex qua figura resultat, in actum deduci. Jam vero in Deo talem potentiam quæ hoc modo in actum deducatur, nullam dari certissimum est, & per consequens dicendum potentiam Mathematicam hoc modo sumptam minimè Deo esse attribuendam, quia est Spiritus, & omnis quantitatis extensivæ expers, ex qua figura aliqua resultare possit. Conf. de hac potentia Mathematica B. Stalium philosophum acutissimum in instit. Metaph. c. 5. p. 54.

§. 13 De potentia Logica lis videtur perorata. Quis enim sanæ mentis eam Divinæ majestati derogaret si recte explicetur. Est autem potentia Logica docente Scoto in 1. sent. dist. 7. quest. unica n. 7. quæ dicit modum compositionis factæ ab intellectu, & notat non repugnantiam extremorum. Talis potentia Logica si sumatur pro aliquo Deo intrinseco principio, quo componat & dividat, in Deum non cadit: Sin vero sumatur pro quodam principio Deo intrinseco, quo aptus est terminare judicium intellectus creati, utique Deo potentia Logica est tribuenda. Eo ipso enim quo Deus est, simul quoque aptus est terminare cognitionem judicativam intellectus humani, quæ concipit Deum esse.

§. 14. Hæc de potentiis, quæ annumerari solent impropriis, & an cadant in Deum? super est ut progrediamur ad potentias propriè dictas. Potentiam propriè dictam communiter volunt adæquate dividi in activam & passivam, & resistivam dicunt aut non esse propriam & specialem potentiã realem aut non esse distinctam ab activa & passiva de quo vid. Suarez, disp. 40.
Met:

Met. sect. 1. n. 6. pm. 405. Quam sententiam pro nunc se-
cuturi, dispiciemus an utraque, activa & passiva, an ve-
ro altera tantum, Deo possit tribui? Ubi quidem, inci-
piendo à potentia passiva, omnium ferme Philosopho-
rum calculo comprobatum est potentiam passivam ob
suam quam includit imperfectionem Deo nequaquam
esse tribuendam. Eo ipso enim quo aliquid habet
potentiam passivam, & aptitudinem ad id à quo pati-
tur, ostendit suam imperfectionem ab illo à quo
patitur perfectibilem. Licet enim id quod habet po-
tentiam passivam eo ipso quod habet præcise non in-
telligatur habere quandam vacuitatem de novo com-
pleibilem ab actu, v. g. licet cœlum nullam præcise ex
eo intelligatur habere aptitudinem ad aliam formam,
quod habet potentiam passivam, cum hæc potentia
passiva adhuc maneat in esse potentiæ passivæ in quan-
tum stat sub hac forma & negat aptitudinem ad il-
lam aliam formam, habet tamen adhuc imperfectio-
nem in quantum intelligitur compleri ab eo à quo jam
actuatur.

§. 15. Hinc non tantum frustra, sed blasphemus
& injurius in Deum est Vorstius Calvinista, siquidem
ea ejus mens est quam ipsi Martinus Becanus Jesuita in
Theol. Scholast. p. 1. tr. 1. c. 17. pm. 63. attribuit, dum passivam
etiam in Deo ponit potentiam, ex eo capite, quod De-
us nova in se accidentia realia recipiat. Quia enim
Deus intrinsecè planè est immutabilis, & si qua muta-
tio circa actiones ejus occurrere videtur, ea omnis ipsi
extrinseca est, nulla ratione blasphemum hocce adser-
tum tolerari potest aut debet. Quod si adæquata est
divisio mutabilitatis, quæ in natura rationali occurrit,
quam affert idem Becanus *p. 1. tr. 1. c. 7. concl. 1. pm. 9.* facile
probari potest Deum nullo modo ex hisce esse mutabi-

lem. Aut enim esset mutabilis (α) quoad existētiā: Sed hoc non, quia est suum esse, est à se, & mutabilitas existētiæ divinæ repugnat æternitati eius. aut (β) secundum locum. Sed hoc non, quia est immensus & ubique repletive, non circumscriptivè, nec definitivè aut (γ) quoad accidentia. Sed hoc non, quia sic Deus non esset Deus, perficeretur enim, aut deterioraretur per accessum novorum accidentium, melioratio & deterioratio non potest competere Deo, quia est ens perfectissimum aut (δ) quoad cognitionem. Sed hoc non, quia omnia in nunc æternitatis simplicissimo actu intuetur aut (ϵ) quoad decreta. Sed hoc non, quia si mutaret decreta, faceret contra omnifapientiam. Quæ enim semel decrevit tam sapienter decrevit, ut si contra agat, contra sapientiam faciat.

§. 16. Ut autem melius intelligatur, qua ratione Deo potentia passiva denegetur, notandum puto, potentiam passivam dupliciter posse spectari. (1.) formaliter & sub reduplicatione, in quantum est potentia passiva, quomodo dicit formaliter aptitudinem & relationem ad suum actum à quo perficitur. (2.) materialiter in quantum est entitas quædam extra meræ possibilitatis statum collocata. Priori modo considerata potentia passiva in Deum cadere non potest, nisi forte virtualiter, de quo alibi qui modus habendi eam, excellentiam, perfectionem, minimè vero imperfectionem dicit. Posteriori vero modo spectata, in quantum est præcise entitas quædam, perfectionem dicit & bonitatem, & in tantum Deo posse tribui videtur, quod Deus eam habeat, quia habet omnem bonitatem. Quod autem potentia passiva hoc modo sit bonitas quædam probatur ex eo, quod habeat suum esse participatum à bonitate divina. Per hoc enim Deus quoque

que diffudit bonitatem suam, quod creaturas, & sic etiam potentiam passivam produxit, & sicuti quivis actus objectivus, ita & potentia passiva, quæ est quidam actus objectivus, cum propriam habeat existentiam, ad similitudinem, & ideam divinam conformatur.

§. 17. Præterea alio modo potentia passiva formaliter spectata dupliciter potest intelligi. (1.) ut est talis potentia circa omnem mentis negotiationem rei, cuius dicitur potentia, formaliter & intrinsece competens quæ rem intrinsece patientem denominet. (2.) ut revera non est talis potentia passiva, sed per operationem intellectus concipitur ut potentia passiva, & per hoc rei non est intrinseca, sed extrinseca eamque extrinsece denominat. Quia enim intellectus noster priusquam sit in termino, non nisi abstractivam de Deo habet cognitionem, varios de Deo per modum suæ activitatis format conceptus. Et quoniam passim in creatis videt v. g. in decretis & actibus voluntatis humanæ, actus illos esse elicitos immanentes & in ipsam voluntatem tanquam potentiam realiter ab ipsis distinctam, subjective receptos, itidem tales sibi format de Deo conceptus, cumque partim ob infinitatem objecti, partim ob imperfectionem & improportionem sui ad objectum, ea quæ in Deo simplicissime unum idemque sunt, unico conceptu non possit exhaustire & penetrare, varios facit inadæquatos, ipsumque objectum simplicissimum partitur intentionaliter secundum eum modum quo in se hæc omnia peragi videt. Hinc distinguit v. g. actus discernendi in Deo ab ipsa essentia sive potentia volendi, eosque concipit per modum formarum realiter à potentia ipsa volendi distinctarum, eamque actuantium; ipsam vero potentiam concipit per modum subjecti & principii passivè terminantis illas formas. Et sic que

in re non est, potentia passiva rationis concipitur.

§. 18. Potentiam passivam realem dicto modo Deo tribui absolutè impossibile esse ex hætenus allatis clarissimum est. Eam vero, quæ rationis dicitur potentia passiva, Deo tribui posse, non video quid repugnet cum, uti dictum, in Deo nullam imperfectionem ponat, neque eum intrinsece denominet, sed extrinsece eum, intellectum vero nostrum intrinsece denominando, arguat excellentiam Dei, nostri vero intellectus imbecillitatem & heberudinem. Sicut enim Theologi passim admittunt, dari quandam in Deo compositionem, quam rationis vocant, eandem ob causam, mutatis mutandis, quæ à nobis hætenus insinuata est, quæ vix similiter dependendo tantum ab operationibus nostri intellectus, & Deum extrinsece denominando, nullam afferat Deo imperfectionem; Ita & pari ratione potentia passiva rationis de Deo in nostris conceptibus admitti potest sine ullo imperfectionis in Deo ponendæ periculo, cum actiones Dei non aliter intelligamus quam per modum actionum immanentium & elicitarum, vel transeuntium & imperatarum.

§. 19. Solet potentia passiva aliis nominibus etiam vocari Receptiva & subjectiva, prout scilicet sub alia atque alia formalitate & connotatione concipitur. Passiva dicitur præcise in habitudine ad id à quo patitur, Receptiva in quantum in se aliquid recipit, & subjectiva in quantum est recepti sustentaculum. Subdividi autem solet variè. *Ægidius Romanus in lib. Aristot. de cælo c. 3. q. 1. sub finem pm. 364. ex Aristotelis 2. de Interp. c. 3.* dicit aliam esse quæ non semper conjuncta est cum actu, uti v. g. est potentia Petri ad sedendum, potentia ad habendas formas rerum corruptibilium. Et hanc dicit vocari à Philosopho Potentiam contradictionis.

dictio,

ditionis: aliam vero esse, quæ sumatur pro quavis non repugnancia, quomodo Socrates habet potentiam ut sit homo. Conf. m. Robert. Baron. Metaph. general. sect. 7. part. 2. n. XI. p. m. 85. qui facit alteram ad unam contradictionis partem determinatam, alteram indeterminatam & indifferentem ad utramq; , & hanc facit potentiam contradictionis. Chrysostomus Javellus eam dividit in Metaphysicam & Physicam l. 5. met. q. 19. p. m. 222. Idem l. 9. Met. q. 17. eam facit aliam ad esse substantiale, aliam ad esse accidentale p. m. 552. Arriaga disp. 6. de anima sect. 1. n. 7. aliam facit quæ præcise recipit formam nullo modo eam producendo, quam productionem alias materialitatem vocant; aliam vero quæ non solum formam recipit, sed eam quoque causat. P. Fonseca in 9. Metaph. Arist. c. 1. q. 2. sect. 2. p. m. 516. duplicem facit, aliam cum motu, aliam sine motu &c. Singulas hasce in Deo non dari, sufficienter jam probatum est, eo ipso, quod in genere potentia passiva à Deo remota fuit. Qui enim removet genus, simul removet singula sub genere contenta. Sic qui negat in rerum natura dari Ens, animal, eadem opera negat dari Deum, substantiam, hominem & brutum.

¶ 20. Sequitur ut pergamus ad Potentiam activam, visuriam & hæc in Deo sit collocanda. Eam vero in Deo dari probant rationes supra allatæ pro existentia potentia in Deo. Idem confirmat Doctor Angelicus, quando p. 1. q. 25. a. 1. corp. dicit: *Duplex est potentia, scilicet passiva, quæ nullo modo est in Deo, & activa, quam oportet in Deo summè ponere.* Manifestum est enim, quod unumquodq; , secundum quod est actu & perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus. Potentia activa vulgo in sua universalitate dici solet id, quo aliquid aptum est producere aliud. Petrus Fonseca 9. Metaph. c. 1. q. 2. p. m. 515. quærit quare factum fuerit, ut cum activa potentia desumpta sit, ex generæ causæ agentis,

tis,

tis, & passiva ex genere materialis, non etiam ex aliis causarum generibus desumpta sint ab Aristotele alia potentialiarum genera, cum non minus potens sit finis ad movendam trahendamque agentem causam, nec forma minus ad perficiendam materiam. Cui quaesito respondet factum id esse ob tres causas (1.) quia potentiae activae & passivae possunt esse entia distincta à rebus, quarum sunt potentiae, ceterae autem non sint aliud quicquam quam puri modi se habendi rerum (2.) quia Aristoteles ea solum potentialiarum genera constituit, quae genere suo possunt tempore antecedere suos actus (3.) quia etsi in aliis causarum generibus dantur potentiae, earum tamen aut nullus, aut penè nullus sit usus. Qua stante sententia inter potentiam activam & passivam adhuc intermediarent aliae. Dices posse eas referri ad alterutrum horum membrorum: Respondetur, posito quod ita sit, Fonseca sic non obtinebit quod volebat. Rationes quare id factum sit nam sint sufficientes alius dijudicet.

§. 21. Nos hac vice tritam eamque magis receptam sequemur sententiam, qua potentia adaequate ita dividitur, idque ad mentem nostrorum Praeceptorum. Est igitur potentia activa, uti jam dictum, nihil aliud quam id, quo aliquid aptum est producere aliud. Per quod aliud innuitur realis & essentialis minimùm numerica causati à causante distinctio. Et juxta hanc acceptionem potentiae activae excluditur à participatione hujus descriptionis in comprehensibilis illa foecunditas, qua Pater ab omni aeternitate produxit Filium numerice sibi consubstantialem, quae productio Theologis vocatur Generatio, estque nihil aliud docente Thoma part. 1. q. 27. a. 2. conc. quam *origo viventis à principio vivente conjuncto secundum similitudinem ejusdem naturae.* Excluditur itidem illa vis ineffabilis, qua Pater & Filius sunt unum principium Spiritus S. ab utroque procedentis.

cedentis.

cedentis. Scilicet quia Philosophus stans in sphaera sui ob-
jecti nihil quicquam de his mysteriis cognoscit, proinde
talem ineffabilem productionem sub descriptionem po-
tentiae activae, in quantum sub suo proprio objecto cogno-
sci potest, non reducit. Neque tamen eam negat, dum
suam descriptionem adaequatam esse descripto profitetur
& propugnat, quia in tantum hoc facit, in quantum sub
objecto formali suo ea consideratur.

§. 22. Scholastici tamen nonnulli inter quos emi-
nent Doctor subtilis citante de Rada, in quod l. q. 7. sub li-
tera B B, & Johannes de Rada part. 1. contr. inter Tho-
mam & Scotum contr. 9. p. m. 149. videntes hanc produ-
ctionem ineffabilem, non contenti illa descriptione po-
tentiae activae modo allatae, quam in hoc mysterio deficere
viderunt, aliam ingressi sunt viam. Dixere potentiam acti-
vam sumi proprie, vel minus proprie, & ad hanc minus
propriam reduxerunt potentiam illam sive potius princi-
pium illud, quo Pater concipitur Filium in divinis gene-
rasse. Juvat mentem ipsorum verbis propriis appone-
re. *Potentia activa*, inquit Johannes de Rada loco cit.
potest accipi bifariam. Primo proprie pro potentia causativa,
cujus objectum est possibile, prout opponitur enti simpliciter necessa-
rio: qualia sunt omnia entia alia à Deo, quae sunt non simpliciter
necessaria, quia possunt esse & non esse. Unde omne aliud à Deo
est objectum potentiae activae proprie dictae. Secundo potest accipi
potentia activa minus proprie pro potentia productiva, cujus obje-
ctum est omne producibile, sive sit aliud à Deo, sive sit Deus.
Hac ille.

§. 23. Qui si aliquam universalem potentiae activae,
proprie & minus proprie dictae, uti quidem loquuntur,
communem habere voluerint descriptionem, illam à no-
bis allatam certe tenere non poterunt, quia sic descriptio
esset angustior descripto, & cum eo non posset dici ad

C

conver-

convertentiam, quod tamen ad quamvis bonam descriptionem requiritur. Quare aut Universalior est concinnanda, aut dicendum, eas in nullo conceptu communi quomodocunque etiam convenire posse. Prius qui dixerit forsan afferret talem: potentia activa in suo generalissimo conceptu est nihil aliud quam principium quo aliquid aptum est agere aliquid. Qui vero posterius, ex eo capite hoc negaret, quia proprium & minus proprium in uno conceptu non possunt convenire: Jam vero potentia activa & productiva ita se habent, fatente ipso de Rada, ergo manet adsertum.

§. 24. Patet autem Scotistas facere illam divisionem potentiae activae non adaequatam sed in adaequatam: Quicumque enim dicunt objectum potentiae productivae esse omne producibile, sive sit aliud à Deo, sive sit Deus, illi dicunt hanc divisionem esse inadaequatam. Atqui Scotistae hoc dicunt. Ergo. Major tenet quia sub productiva etiam continetur potentia activa proprie dicta. Minor patet ex verbis Rada modo adductis. Et confirmatur praeterea, quia Rada statim subiicit *differre has duas potentias sicut superius & inferius*; omnis enim potentia activa primo modo, quae dicitur *causativa*, est potentia productiva, non tamen est contra: quia pater aeternus habet potentiam productivam respectu filii, non tamen causativam, seu activam primo modo: non enim pater est causa filii, licet sit ejus principium. Num autem & eadem divisio alio modo possit esse adaequata, si scilicet ad productivam tantum requiratur objectum producibile non causabile, sive objectum quod est ipse Deus, ad causativam verò omne objectum causabile, aliis dijudicandum relinquo. Ego, quia haec excedunt objectum philosophiae (quoad res quae hic tractantur, hoc loco & tempore nihil affirmo, sed quae ipsorum sententia sit, proponere volui.

§. 25. Po-

§, 25. Potentia productiva rursus videtur subdividi posse in productivam formaliter talem, & in eam quæ virtualiter talis est. Sicuti enim aliàs notissima est illa Cajetana distinctio causæ in causam formaliter & virtualiter causantem, quarum illa reverà esse in effectum suum influit; hæc quidem formaliter non influit esse, eam tamen ad id, quod dicitur virtualiter causari habitudinem obtinet ut si virtualiter causabile, formaliter posset causari, hæc causa ipsum formaliter esset causatura. Ita proportionabiliter procedendo, reor, potentiam productivam causativæ adæquatè contradistinctam formaliter talem esse, quæ reverà producit aliquid in identitate essentia, ita quidem, ut productum adhuc à principiante realiter sit distinctum. Et talem potentiam formaliter productivam habet Pater respectu Filii, Pater & Filius simul respectu Spiritus Sancti, absque ulla tamen causalitate, & sine actibus elicitis, realiterque productis. Similiter potentiam productivam virtualiter talem arbitror esse principium, quod quidem reverà non influit in principiatum, quod si tamè principiatum in identitate naturæ adhuc realiter distingueretur à principiante, tunc demum principium formaliter influeret esse in principiatum. Atque sic puto essentiam divinam posse dici potentiam productivam virtualiter suorum attributorum.

§, 26. Potentiam activam causativam quod concernit etiam si spectetur, ut contradistincta activitati potentia productivæ in causali, vix tamen persuadeor, ut putem, eam cum potentia effectivâ æquellate parere idque ex hoc fundamento. Potentia, quæ dicitur effectiva, connotat præcipue terminum, à potentia principiatum sive causatum, atque adeo, cum nihil proprie dicatur effectum, nisi sit terminus positivus, videtur sequi potentiam effectivam præcise terminari ad effectus

positivos. Quæ vero dicitur potentia causativa activa, illam habitudinem ad terminum vi vocum non videtur importare, sed præcise à connotata habitudine ad causalitatem, quæ est actio, denominatur activa. Putaverim itaque potentiam causativam posse distingui in activam & effectivam stricte dictas, modo explicato, & divisione adæquata, vel si hoc non arriserit, potentiam activam saltem se habere ut superius ad effectivam ut inferiorem, ita ut ab effectiva affirmative legitima sit consequentia ad activam, non vice versa. Sane certissimum est dari potentias quasdam, quæ referri solent ad activas, quarum terminus per se, est merum non ens. Sic datur potentia corruptiva, item annihilativa sive destructiva, quarum illa nihil aliud est, quam *principium, quo aliquid aptum est tendere ab esse ad non esse forma in subjecto*: Hæc vero nihil aliud est quam *principium quo agens tendere potest ad non esse alicujus simpliciter*. Esse has non posse potentias causativas effectivas, terminus ostendit, qui est non ens, & tamen causalitas earum, sive id, per quod in actum deducuntur, est vera actio.

§. 27. Contingit quidem, idque toto die, ut, secundum illud tritum, corruptio unius est alterius generatio, potentia corruptiva habeat terminum productum realem, sed hoc plane fit per accidens: Non enim est de necessitate aut ratione formali potentia corruptivæ quæ talis, ut corruptionem unius comitetur terminus positivus, sive forma de novo producta. Ratio est; quia circumscriptis omnibus, & præciso termino illo producto, potentia corruptivæ facta recta manet ratio formalis & causalitas, quæ consistit in *tendentia ad non esse forma in subjecto*. Si enim eo ordine, quo, juxta probabilem sententiam, universum est productum, destructio ejus sit futura, tunc sicut ibi, quæ prima

ma

ma omnium è potentia materiæ educta fuit forma, ante se non habuit aliam in subjecto, cujus definitionem ipsa immediatè exciperet; ita etiam in corruptione ultimæ formæ nulla alia hujus corruptionem, in subjecto, sive in materia prima, excipiet.

§. 28. Potentia annihilativa, quæ, uti dictum, nihil aliud est, quam principium, quo aliquid alicujus non esse simpliciter causare aptum est, ex hoc discriminatur à corruptiva, quod illa possit causare non esse in subjecto; annihilativa vero non esse simpliciter. Quæ duæ potentia si sub unum conceptum potentia activæ causativæ revocari debent, quem cum effectiva communem habeant, non potest dici, potentiam activam causativam esse id quo aliquid producere potest aliud, si per tō aliud terminum positivum intellectum velis, sed dispiciendum erit de aliquo conceptu universaliori. Quid si igitur dicatur, potentiam activam causativam in genere nihil aliud esse, quam *principium quo aliquid potest causare*? In qua descriptione nō habetur respectus ad terminum, sive ille sit positivus sive negativus. Hæc vero, *quod sit id, qua aliquid potest producere aliud*, soli competet potentia activæ effectivæ.

§. 29. Si jam dispiciatur de eo, an potentia causativa activa, in sua latitudine considerata, in Deo sit? dicendum, potentiam activam corruptivam esse in Deo, vel per modum potentia universalis, in quantum cum potentiis secundis corruptivis concurrat, vel etiam per modum potentia particularis, si scilicet sine potentiis secundis corruptionem causare velit. Annihilativam quod concernit, ea utique est in Deo, & quidem immediatè. De causativa effectiva itidem certum est, quod sit, cum per modum potentia universalis, tum per modum particularis & immediatæ, immedatione causæ

in Deo. De post eriori hac disputatur inter Scholasticos
an soli Deo competat, ita ut nullo modo creaturæ com-
municari possit. Vide Thomam p. 1. q. 45. a. 5. corp. Jo-
hannem de Rada p. 2. contr. 2. per totam. P. Hurtad. de Mendoza
Phys. disp. 12. sect. 7. p. m. 415. Roder. de Arringa disp. XI. phys.
sect. 5. p. m. 288. seqq. Francisc. de Oviedo phys. contr. 13.
punct. 4. p. m. 288. seqq. Thom. Compt. Carleton. disp. phys. 41.
sect. 6. p. m. 375. &c.

§. 30. Hac potentia Dei effectiva dupliciter potest
spectari. (1.) ut est à parte rei, & sic est ipsa simplicissi-
ma essentia divina, & æque naturalis ac necessaria, atque
est ipsa divina essentia (2.) cum connotato termino, &
formaliter in quantum objectum causabile respicit. Et
sic iterum bifariam considerari potest (a.) in actu primo,
quatenus potest causare omne causabile, quod in causan-
te imperfectionem non ponit. Et sic iterum est summe
necessaria, quia Deus non potest non esse potens ad cau-
sandum omne causabile, quod essentia & perfectioni suæ
non repugnat. (β) Spectari eadem potest constituta in
actu secundo, prout actu attingit objecta quædam causa-
bilia, ipsisque esse efficienter influit. Non tamen exi-
stimandum est, dari in Deo mutationem ab actu primo ad
secundum, sed intelligendum hoc est, secundum imper-
fectum nostrum concipiendi modum. Ipsa enim essen-
tia & potentia divina actualissima est, & in ultimo actua-
litate gradu constituta, quæ omnem potentialitatem a-
ctuabilitatis ulterioris absolutè excludit. Concipitur
autem potentia Dei in actu primo constituta, antequam
id, quod ejus objectum dicitur, actum entitativum habe-
at, sed adhuc in potentia objectiva, & statu merae possibi-
litate latitat. Tunc vero concipitur eadem potentia
Dei in actu secundo constituta, quando objectum causa-
bile

bile è nullitatis statu prodire, & actum objectivum acquirere incipit.

§. 30. Potentia illa effectiva Dei in actu secundo spectata, num sit libera: quæri potest. Cui quæstioni ut satisfiat, notandum, quæri hic præcise de effectivâ potentia, quæ actu terminatur ad extra, ad bonitatem creatam. Quæ si statuatur attributum à voluntate distinctum, dicendum, eam formaliter non esse liberam, cum hoc solius voluntatis sit. An ea autem sit participativè libera dicenda, à modo loquendi pendet. Participativè enim libera dicitur potentia (1.) quæ formaliter non est libera, potest tamen liberæ formaliter potentiæ repugnare. Sic appetitus sensitivus participative liber est. (2.) quæ formaliter nec libera est, nec voluntati repugnare potest, voluntatis tamen imperio subest, quæ illâ utitur utcunque placuerit. Sic potentiæ aliæ executivæ v. g. potentia movendi manum in homine; sunt liberæ. Priori modo potentia Dei tanquam peculiare attributum à voluntate distinctum considerata, non est participative libera: non enim repugnare potest voluntati; sed posteriori, in quantum concipitur per modum principii executivi, ejus, quod ab intellectu directum, & à voluntate imperatum est. Sin vero nihil aliud sit, quam ipsa Dei voluntas, scientia practica directa, tunc formaliter libera erit dicenda. Sed de his postea.

§. 32. Libera est hæc potentia simpliciter, cum à servitute, & violenta coactione, tum ab intrinseca & naturali necessitate, quia Voluntas Dei, in habitudine ad objecti causabilis bonitatem cognitam, est liberrima, absolute quidem & simpliciter loquendo. Est enim objectum hocce secundarium divinæ voluntatis ita comparatum, ut Deus illud non nisi propter suam bonitatem infinitam, quæ est objectum primarium ejus, velit, adeoque per modum

dum

dum ejus, quod est ad finem. Jam vero ea quæ sunt ad finem, in duplici sunt differentiâ. Alia ita comparata sunt, ut sint simpliciter necessaria ad esse finis, & hæc eo modo quo ipse finis appetuntur. Contra alia contingentem tantum habent ad esse finis habitudinem. Et hæc non eodem modo quo finis appetuntur. Unde sequitur bonitatem creatam omnem, quia non simpliciter necessaria est ad finem (potuit enim finis esse ab omni æternitate, antequam bonitas creata existeret) non æquè necessariò ac ipsum finem, sive ipsam bonitatem Dei à Deo amari. Bonitas autem creata quæ ad rem nihil aliud est, quam objectum potentiaæ effectivæ in Deo.

§. 33. Sed hæc de libertate volendi creaturas, intelligi debent de libertate in se & absolute spectatâ. Facto enim decreto ab omni æternitate de volendo in tempore creaturas, potentia Dei non amplius concipitur ut absolute libera, sed necessaria ex suppositione, cum quâ necessitate hypotheticâ libertas tamen est compossibilis. Sicuti enim antequam animum appellerem ad hanc materiam dissertationis elaborandam, liberum mihi erat, eam non elaborare, vel etiam aliam; ita, quando jam hanc decrevi adsumere, & in decreto illo adhuc acquiesco, non amplius integram habeo priorem illam indifferentiam, sed hanc necessariò elaboro, ita tamen, ut hæc necessitas non sit absoluta, & cum libertate incompossibilis; libere enim scribo eam: Ita se res habet cum omni necessitate suppositionis, & per consequens cum potentia Dei. Postquam enim Deus ab æterno hunc, qui nunc est, mundum condere decrevit, supposito hoc decreto, necessariò hunc mundum condi par erat, ne voluntas ipsius mutaretur, per hoc tamen non sublata est libertas in producendo hoc mundo.

§. 34. Præterea, cum potentia libera creata duplici

ci

ei gaudeat libertate; alterâ exercitii seu contradictionis, specificationis alterâ, sive quoad speciem actus; Deo quoque utraque, præcisâ imperfectionibus, est tribuenda. Ab omni enim æternitate liberum integrumque fuit Deo, imperare potentia executrici decretorum hanc vel aliam numero productionem. Hac vero positâ, simul ponitur altera libertatis species. A libertate enim specificationis posita, valet ad ponendam contradictionis, quia hæc in illa implicite continetur, sicuti à remota hac, valet ad removendam illam,

§. 35. Porro hæc potentia productrix bonitatis creatæ ab Autoribus dispesci solet in ordinatam & absolutam, non, ac si duæ in Deo sint potentia, quarum altera alteram excedat, sed quod una eademque numero potentia pro diversis connotatis ita vel ita soleat appellari. Absolutum dicitur in ordine ad adstrictum, quomodo illa potentia est absoluta, quæ à nullo, nullo modo dependet. Et sic sumpta potentia hæc productrix non erit absoluta; concipitur enim ab essentia tanquam principio dependere & sic nulla attributa sunt absoluta. Deinde absolutum dicit negationem respectivi, & sic iterum potentia Dei formaliter sumpta non est absoluta, sed respectivum transcendentale, respicit enim suum terminum. Sin absolutum dicas, quod nullius alterius imperio subest, omnis potentia Dei, cum ordinata tum absoluta sic dicta, est absoluta. Sed alio in significato usurpari solet cum distinguitur ab ordinatâ.

§. 36. Modo autem non uno hæc divisa explicantur. Thomas, teste Baronio Gener. Metaph. sect. 7. n. 20. suppressâ citatione loci, qui est in p. 1. q. 25. a. 5. a. 1. potentiam absolutam vocat virtutem agendi in Deo, quatenus consideratur secundum se, id est, quatenus non est deter-

D

mina-

minata ad agendum per decretum aliquod voluntatis di-
vinæ. Sic etiam ex potest facere quæ nunquam facere de-
crevit. Ordinatam vocat eandem virtutem, quatenus de-
terminata est ad aliquid agendum, per decretum divinæ
voluntatis. Quæ obtinente explicatione omnia, quæcun-
que etiam Deus edidit miracula, ordinatæ ejus potentia e-
runt adscribenda. Nihil enim Deus facere potest absque
voluntatis decreto. Soarius Met. Disp. 30. sect. 17. n. 32.
Ordinatam potentiam dicit duobus modis exponi. (1.) ut
dicatur ipsamet potentia Dei prout habet adjunctam scientiam &
voluntatem, quia Deus decrevit hos effectus & non alios facere, cu-
juscunque ordinis sint, si ve naturalis, si ve supernaturalis. (2.) ma-
gis usitate dicitur ipsa potentia Dei prout operatur secundum com-
munes leges & causas quas in universo statuit. Thomæ expli-
cationem alii sequuntur. Svarii utraque acceptio in illa
Thomistica continetur.

§. 36. Amplissimus atque Excellentissimus Dn.
Johannes Christophorus Hundeshagen/ Log. & Metaph.
P. P. celeberrimus, Præceptor atque Patronus meus æta-
tem suspiciendus in dissertatione quadam de Potentia Dei.
§. 9. Potentiam ordinatam Dei vocat ipsam essentiam divinam,
quatenus eâ Deus potest agere secundum legem vel ordinem à se in-
stitutum. Potentiam vero absolutam exclusivè sumptam
docet esse ipsam Dei essentiam quatenus Deus per eam agere potest
contra vel præter legem si ve ordinem institutum, alioque nomine
Extraordinariam dici notat. Quæ sane explicatio usu magis
est recepta quam illa prior Thomæ, cum sæpissime ita lo-
qui soleant homines, Deum hoc vel illud per potentiam
absolutam egisse. Nec in totum alienus est ab ea Svariez,
quoad rem enim prior (si exclusive sumatur) explicatio
potentia ordinariæ, cum hac potentia absolutæ explica-
tione coincidit, posterior cum ordinata, quam & ipse ma-
gis

gis

gis usitatam appellat. Eodem modo explicat hanc distinctionem Johannes Duns Scotus. i. sent. dist. 44. quaest. unica p. m. 1195. seq. *Ordinata* (potentia) inquit, est, in quantum est principium exequendi aliqua conformiter legi rectae, secundum ordinem praefixum ab illa lege; & potest agere praeter illam legem vel contra eam: & in hoc est potentia absoluta excedens potentiam ordinatam.

§. 58. Quando igitur Deus secundum horum mentem agit per potentiam absolutam, semper etiam agit per potentiam ordinatam in mente D. Angelici supra citati, & juxta explicationem priorem potentiae ordinatae Svarezianam. Semper enim facit quod decrevit facere, quod autem decrevit, illud ordinavit. Potentia ergo absoluta non simpliciter est absoluta respectu cujusque ordinationis, sed respectu illius, à cuius ordine recedit. Sic si Deus impediatur cursum solis (stante hypothese illa quod moveatur) ageret potentia absoluta, non simpliciter, sed respectu illius ordinis à quo recedit. Hic enim concursus Dei universalem ad perennationem motus requirebat, quia vero hic Deus contra hanc legem, qua suum concursum solis motui alligavit, ageret, per potentiam absolutam ageret. Quia tamen decernit pro hoc rerum statu hunc concursum generalem Soli subtrahere, & extraordinarie agere, adhuc agit ordinate, quia voluntas eius hoc ita ordinavit.

§. 3. Unde fluit nunquam agere Deum inordinate, ut per potentiam absolutam agat. Respectu eius quoque ordinationis, à qua interdum recedit, non agit inordinate. Sicut enim Majestas civilis, quia nullum se superiorem in sua civitate agnoscit, à cuius voluntate possit obligari, si à lege aliqua positiva qua

ali recedat, contra vel præter eam agendo, non agit inordinate, quia ordinatio à se profecta ipsum non obligabat: Ita quoque res habet cum Deo. Quia enim Deus est *παντων πατηρ*, & summus Monarcha hujus universi, ideo si contra aliquam legem, cui intrinsece non repugnet mutari, à se institutam vel præter eam agat, propterea non inordinate & male agit, cum nullæ circumstantiæ hoc factum reddant inordinatum. Contra eas vero leges non agit nec agere potest, quia summa bonus & sapiens, quæ intrinseca sua natura moralitatem quandam includunt.

§. 40. Ad tertium, quo quærebatur quomodo Potentia sit in Deo? dicendum 1. Potentiam esse duplicem aliam increatam, & cum ipsa Dei essentia quoad rem simplicissime identificatam, aliam vero creatam quæ ad ipsum Deum se habet ut effectus æquivocus ad suam causam. Dicendum 2. quatuor potissimum modis dici posse aliquid in Deo esse (α) formaliter, quod secundum propriam suam entitatem est in Deo (β) eminenter, quod in Deo est ut in causa æquivoca effective modoque adeò nobiliori & eminentiori quam in creaturis (γ) objective, quomodo omne illud in Deo est quod est objectum omniscientiæ divini (δ) Repræsentative & idealiter quomodo aliquid in eo ut in exemplari causa.

§. 41. Quibus præmissis, quæstioni respondendum, potentiam increatam esse in Deo formaliter. Concipitur enim potentia increata ex essentia divina per modum attributi fluere, adeoque quoad suam entitatem propriam intrinsece & formaliter Deum denominare. Deinde etiam potentia increata est in Deo objective, adeoque esse intelligibile in Deo habet. Sicut enim essentia divina est objectum primum intellectu.

telles

tellektus divini, ita quando Deus eam intuetur, simul
intuetur attributa sua, & sic etiam potentiam suam:
comprehendit enim Deus seipsum, cum in sensu Tho-
mistico, tum in sensu Augustiniano; juxta Thomam
quidem, quia tam perfecte se cognoscit, quam est co-
gnoscibilis, juxta Augustinum, quia seipsum ita videt,
ut nihil ejus videntem se lateat. *Conf. Mart. Becan. Theol.*
Schol. part. 1. tr. 1. c. 9. q. 11. pm. 19. & Ampliſſ. Dnm. D.
Bechmannum in tractatu de scientia Dei o. 2. §. 4. seqq.
pm. 24.

§. 42. Potentia in creata num esse ideale in Deo
habeat, ut recte intelligatur, notandum, ideam, juxta
Thomam *Summ. p. 1. q. 14. ante artic. 1. nihil aliud esse,*
quam rationem rerum secundum quod sunt in Deo cogno-
ſcente. Et sequente *quest. 15. a. 1. in corp. Per ideas,* in-
quit, intelliguntur forma aliquarum rerum prater ipsas
res existentes. Hæc forma, pergit, *ad duo esse potest. vel*
ut sit exemplar eius, cujus dicitur forma: vel ut sit principi-
um cognitionis ipsius, secundum quod forma cognoscibilium
dicitur esse in cognoſcente. Illam art. 3. corp. pertinere
dicit ad cognitionem practicam, dicique *exemplar se-*
cundum quod est principium factionis rerum: Hanc
vero ad scientiam speculativam pertinere dicit, & se-
cundum quod est principium cognoscitivum, proprie
dici *RATIONEM.* Quibus ita habentibus, manifesto
est potissimum in Deo ab Autoribus poni ideas creatu-
rarum non item ideas ipsius essentiæ divinæ, nisi forsan
dicere velis ipsam actualem comprehensionem & intui-
tionem sui ipsius, esse ideam quandam infinitam. Sed
sic lis omnis in modum loquendi resolvetur.

§. 43. Potentiam vero creatam quod attinet,
dicendum, eam spectari posse in sensu materiali vel et-

iam in sensu formali. Priori modo si spectetur, tunc aut erit ex numero perfectionum simpliciter simplicium, aut ex numero perfectionum secundum quid talium. Si est perfectio simpliciter simplex, formaliter erit in Deo, sin minus, formaliter in Deo non erit. Quod ut intelligatur, notandum perfectionem simpliciter simplicem esse juxta Anselmum in suo monologio c. 14. prout refertur à Johanne de Rada p. 1. cont. 27. explanat. opin. D. Subtil. not. 5. pm. 426. *quæ in quolibet habente ipsam, melius est ipsam habere, quam non ipsam habere*, id est quam quodlibet secū impossibile. Perfectio vero secundum quid dicitur quæ in propria ratione formali perfectionem & imperfectionem dicit.

§ 44. Circa vocem perfectionis peculiarem meretur observationem id quod Doctor Angelicus p. 1. q. 4. a. 1. ad 1. advertit. Perfectum inquit, aliquid proprie tunc dicitur, cum de potentia educitur in actum. Atque inde transsumitur hoc nomen perfectum ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu, sive hoc habeat per modum perfectionis sive non. Hinc perfectio proprie Deo non competit, quia nihil dicitur perfectum, quod non sit factum, sed per quandam analogiam, quæ in eo videtur consistere, quod sicuti ei quod jam est perfectum, nihil deest, ita Deo quoque, licet non sit factus, nihil desit.

§ 45. Quod si vero potentia creata spectetur in sensu reduplicativo tunc formaliter non potest esse in Deo, in quantum esse extra Deum habet productum quia aliàs imperfectio quædam formaliter esset in Deo, sed tribuitur ei (1.) eminenter, in quantum Deus eam producere potest per potentiam suam multo nobiliorem. (2.) objective, in quantum à Deo cognoscitur, & hoc esse

esse

esse vocatur esse intelligibile. (3.) idealiter, in quantum est species expressa ejus in mente divina quæ formaliter eam repræsentat. Licet nō desint qui rationem essentialem ideæ non in conceptu formali, sed in objectivo, si vere quæ obicitur constituent inter quos Carolus Franciscus D. Abra De Raconis phys. tract. 1. disp. 2. sect. 1. q. 2. a. 2. membro 2. prop. 1. & 2. pm. 37. 38. Et hæc idea creaturarum, docente Becano p. 1. tr. 1. c. 10. q. 8. n. 1. pm. 28 est essentia ipsa divina quatenus est cognitio actualis siue species expressa creaturarum. Et in quantum hoc esse habet, formaliter etiam est in Deo. Et si se habet ut in aliqua temporis differentia existens; peculiari vocabulo dicitur illa idea *exemplar*, sin vero ut non existens in aliqua temporis differentia, *Ratio* vocatur, uti supra ex Thoma habitum est.

§. 46. Alii quadruplex hoc esse in Deo ad *fixitatem* redigunt, scilicet ad esse formaliter vel eminenter in Deo. Et quidem, ut opinor, satis convenienter, cum rationes contradictorias involvant membra opposita & modum inessendi in Deo dividenda videsis Dn. D. P. *Museum instit. Met. c. 37. p. m. 530.*

§. 47. Sequitur quartum, quod ager de quantitate potentia divina. Loquor autem de quantitate, non molis & extensiva, sed virtutis. Hæc autem spectari potest dupliciter, 1. quoad intensiorem 2. quoad extensionem, uti accuratissimè docet in citata superius Disputationis §. 12. *Vir-Excellentissimus Dominus JOH. CHR. Hundeshagen / Præceptor meus summe colendus. Utroque modo dicitur & est infinita. Et quidem infinita intensive est cum ratione entitatis suæ quæ nullum perfectionis gradum addi sibi permittit, tum ratione operationis in se spectatæ, quæ nullis perfectionis terminis clauditur, tum etiam extensive in ordine ad objecta. Et hoc re-*
spe-

specu dicitur omnipotentia. Vocabulum hoc compo-
situm est ex recto, *potentia*, & obliquo *omnis*, non item ex
duobus rectis. Si enim utrumque componentium esset
rectum, tunc particula universalis in recto posita distri-
bueret potentiam cui additur, non fecus atque tunc quan-
do in propositione prioristice supponit, cum descensu
copulativo ad singula generum, sive singulas potentias.
Sin vero in obliquo supponat tunc connotat alterum, vi-
delicet objectum, & omnipotentia significat idem ac o-
mnium potentiam. Id quod accurate docet laudatus
modo Vir - Excellentissimus Dominus JOH. CHR.
Hundeshausen / in palæstra Metaphysica jam jam lucem vi-
sura c. 3. th. 7. p. 63. *Signum omnis, inquit, referendum est ad
objectum divinæ potentia, nempe ad possibile, ut omnipotentia idem
sit ac potentia quæ versatur circa omne possibile.*

§. 48. Constituitur igitur *possibile* objectum omni-
potentiæ divinæ. Hoc ut intelligatur, advertendum,
objectum potentiæ alicujus ita dici ab objiciendo, & vi vo-
cis nil aliud est, quam obex potentiæ, & actuum ejus, idq;
per analogiam. Sicuti enim obex impedit quo minus a-
pertis foribus indifferens sit discursatio, sed facit discur-
rentem ad se sistere: ita objectum habet instar obicis, &
indifferentiam potentiæ ad se limitat & determinat. Re-
tro com meat quidem interdum cum ipso subjecto, sed si
accurate rem putes, subjectum potest esse pars objecti,
& in objecto includi. Sic objectum, materiale & formale,
in discursu, est totum, subjectum vero altera tantum pars.
In strictiori significatione sumi solet pro termino poten-
tiæ vitalis tantum, in latiori vero pro termino cujuscunq;
potentiæ supponere solet. Dupliciter autem aliquid di-
citur objectum alicujus potentiæ (1.) ut versetur potentia
circa illud non tamen producendo illud (2.) ut versetur
circa illud simulque producat. Priori modo versatur
Deo

Deus, v. g. circa creaturas productas, eas cognoscendo, posteriori potentia eius causativa, eas producendo.

§. 49. Tale objectum omnipotentiae divinae vocari solet possibile, & quaerere, quodnam sit objectum potentiae divinae, idem est ac quaerere, de quantitate virtutis potentiae divinae extensiva. Ut igitur constet, quodnam sit adaequatum omnipotentiae objectum, prius examinanda venient acceptiones variae τὸ possibile. Possibile igitur (1.) dicitur, in quantum condistinguitur impossibili tantum, & est id, quod nulla habet praedicata contradictoria quando existit. Et hoc modo ipse Deus est possibilis. Quomodo Philosophum volunt nonnulli sumpsisse τὸ possibile quando IX. Metaph. c. 3. ferme sub finem dicit: *ἔστι δὲ δύνατον τὸ το, ὡ, ἐκ τῆς ὑπάρξεως ἢ ἐνεργείας, & λέγεσθαι ἔχειν τὴν δύναμιν, ἃ δὲ ἐστὶ ἀδύνατον.* Id est: Est vero possibile illud, cui, si evenerit is actus, cuius dicitur habere potentiam, nihil erit impossibile. (2.) possibile dicitur in oppositione ad τὸ omnino à se, & idem significat ac producibile quocunque modo. (3.) Possibile opponitur τῷ necessario, & sic possibile cum contingenti reciprocatur, necessaria verò, sive res aeternae veritatis, non sunt possibile quid. (4.) Possibile distinguitur contra id, quod nullo modo fieri potest, possibile vero est id quod fieri non implicat contradictionem. Et in hac quarta acceptione vel supponit (α) pro eo quod nondum actu factum est, potest tamen fieri, vel (β) praescindendo, pro eo quod fieri aptum natum est, sive jam actu factum sit, sive nondum, sed adhuc intra causas lateat. Possibile hoc denominatur a possibilitate, eaque duplici, altera remota sive radicali, quae ipsis possibilibus est intrinseca, estque nil aliud, quam negatio ejus, quod conceptus objectivus rei factibilis possibilis praedicata contradictoria includat; altera proxima quae est rebus extrinseca & à causa efficienter producente desumpta.

§. 50. Applicando dicta ad præsens negotium sine ulla difficultate patet possibile in prima acceptione, non esse objectum omnipotentia, quia alias Deus ipse esset possibilis, & se ipsum posset producere, cum esset objectum, suæ potentia. Patet (2.) possibile in secunda acceptione etiam non esse objectum omnipotentia. Patet (3.) neque 7^o possibile in tertio significato acceptum mensurare adæquate omnipotentiam, cum sic objectum omnipotentia nimis esset angustum, & necessaria, sive res æternæ veritatis non essent possibles. In quarta igitur acceptione 7^o possibile pertinebit ad omnipotentiam Dei, utroque modo sumtum. Dupliciter autem intelligi potest potentiam divinam versari circa id quod fieri non implicat, scilicet (α) immediate (β) mediate. Quod rursus bifariam pro nunc exponi potest (1.) immediate vel mediate, immediatione vel mediatione alicujus causæ (2) immediate vel mediate immediatione vel mediatione ipsius causalitatis possibile attingentis. Priori modo Deus, sive potentia divina, influit immediate vel mediate, immediate v. g. in materiam primam creatam, & alia quæ strictè dicuntur creata; mediate, in quantum ut causa prima & universalis concursu indifferente cum causis secundis influit. Posteriori vero acceptione non influit mediate, sed semper immediate, sive ut causa universalis, sive ut particularis causato det esse.

§. 51. Non dum tamen causabile quodlibet divina potentia objectum constituit. Licet enim per hoc impossibilia & Chimærica jam sint remota, manent tamen adhuc quædam possibilia quæ à sphaera objecti omnipotentia elongantur. Hæc vero sunt illa possibilia in se, quæ in agente imperfectionem important. Circa quæ tamen attendenda veniunt duo. Alterum est ipsum materiale, quod est entitas physica à potentia activa, & sic quoque à Deo producta: Alterum est ipsum formale, consistitque in privatione

tionem

tionem alicujus bonitatis, adeoque causam effectivam physicam non agnoscit, sed tantum moralem, cui imputetur. Et hæc nunquam potest esse divina potentia, sed potius potentia aberrans & deficiens. Quando igitur ab Autoribus dicitur ea quæ imperfectionem important in agente, non cadere sub objectum omnipotentiae, quod hæc locutio sit intelligenda formaliter sive pro per se significato.

§. 52. Quæ hic reperi possunt, & passim apud Aa. inveniuntur, adscribere nolumus, sed ea in conflictum ipsū reservabimus. Unicum hoc addimus, quod potentia tunc sit perfecta, quando omnia illa, quæ sub ipsam cadunt potest attingere, neque aliqua imperfectio inde in eam redundat, quod se non extendat ad objecta aliarum facultatum. Et quod diximus potentiam Dei esse infinitam, illud (1) ita intelligendum est, eam esse categorematicè infinitam si spectetur quoad suam entitatem. (2) eam esse syncategorematicè infinitam si spectetur quoad causabilia ad extra. Categorematicè infinitum vocant, quod actu finem non habet: Syncategorematicè, quod est non tantum, quin majus, vel non tot, quin plura. Et licet, an potentiae creatæ possint terminari limitibus intrinsicis & extrinsecis cum ratione magnitudinis, tum ratione parvitas, & ita ultra maximum quod sic, & minimum quod non majorari, vel ultra minimum quod sic & maximum quod non, uti vocant Philosophi, diminui queant? prolixæ sit concertatio divinam tamen potentiam nullis limitibus finiri certum est, quamdiu objectum repugnantiam nullam dicit, sed meliorabile, vel etiam deteriorabile manet. Possent hæc latius deduci, sed temporis & chartæ angustia conatus meos sufflaminat. Vid. interim *Svarexium part. 2. Metaph. diss. 30. sect. 17. n. 18. p. m. 137. Joann. Dum. Scotum in 1. Phys. Arist. q. 14. p. m. 87. Aegidium Romam. in 1. phys. Arist. l. 1. c. 4. q. 2. a. 1. p. m. 42. Didacum Ortiz. Hispalens. phys. tract. 4. conf. 4. n. 107. seq. p. m. 485. & 1. phys. cap. 9.*

c. 9. q. 28. p. m. 27. *Et ante omnia perspicue hæc tradentem Francisc. Toletum in 1. Phys. c. 4. q. 10. p. m. 25. f. 4.*

§. 53. Reliquum est ut brevissimis quoque de ultimo quaesito agamus, quo quærebatur de quidditate potentia divina, sive, quid nos per potentiam divinam concipiamus. Sed & hic Autores scinduntur. Videtur autem omnis diversitas ex eo oriri, quod non convenient in eo, quorum potentia divina secundum nostrum concipiendi modum in Deo sit referenda: Hoc quidem extra omnem dubitationem positum est, potentiam divinam quoad rem nec ab essentia, nec ab ullo attributo alio divino diversificari, sed simplicissime cum eis indentificari; De distinctione vero illa, quam Scotici formalem ex naturâ rei, & tamen cum simplicitate compossibilem esse; Thomistæ vero, eorumque sequaces, rationis ratiocinatae esse contendunt, controvertitur. Sunt qui putant scientiam Dei nihil aliud esse, quam ipsam scientiam, non quidem ut est cognitio, sed principium s. causa actionis ad extra vel per actum practicum imperii, vel etiam per ideas seu exemplaria rerum quas in se habet. Vide *Suarez disp. 30. met. sect. 17. n. 38. & 42. p. m. 141. seq.* Alii volunt potentiam Dei esse ipsam voluntatem divinam per quam Deus ad extra operetur per absolutum velle & efficax, quod talis creatura sit tali tempore, modo &c. Pro hac referuntur à Suarezio Cajetanus & Ferrara, Sequitur quoque eandem Becan. Theol. Schol. p. 1. tr. 1. c. 17. q. 2. p. m. 64. dum concl. 2. dicit: *Potentia Dei quâ immediate producit creaturas, est voluntas Dei, non quidem simpliciter & absolute sumpta, sed quatenus addit respectum & rationem principii, s. quatenus efficax est ad creaturas producendas.*

§. 54. Alii denique sunt, qui potentiam divinam ratione distinctam esse contendunt ab intellectu & voluntate, secundum suas præcisas rationes formales conceptis, nihilque

que

que aliud esse quam ipsammet divinam naturam, quæ, quatenus est ipsum esse per essentiam est per se effectrix cujuslibet esse participabilis, si accedat voluntas ut applicans, & scientia ut dirigens. Hanc tenet Soarius dicto loco, & pro ea refert Thomam p. 1. q. 49. a. 4. ad 4. & q. 25. a. 1. ad quartum. Maxime clara autem videntur quando a. 5. l. m. dicit: *Potentia intelligitur ut exequens, voluntas autem ut imperans, & intellectus & sapientia ut dirigens.* Mox paucis interjectis dicit: *quod attribuitur potentie divine secundum quod exequitur imperium voluntatis justæ, hoc &c.* Et hanc posteriorem sententiam sequitur etiam Excellentissimus meus Præceptor Dominus J. O. H. CHR. Hundeshagen / in dissertatione supra citata, quando §. 8. dicit: *potentia divina nihil aliud est, quam ipsa essentia divina, in quantum inadæquate ea concipitur, ut formaliter potens ad operandum vel effectum aliquem producendum.* Rationem hujus assertionis, quod scilicet potentia ab intellectu & voluntate Dei formaliter differat, dat hanc: quia concepto intellectu & voluntate divina Deus nondum concipitur ut formaliter potens. Quod confirmat dum, inquit, *concipio Deum ut intelligentem, concipio eum solum sub ratione cognoscentis, dum autem concipio ut volentem, concipio eum solum sub ratione desiderantis, vel imperantis. At sic nonnumquam concipio eum sub ratione principii exequentis, quod necessario includitur in ratione potentis &c.* Et hæc sententia cum videatur probabilior altera, in eadem & ego acquiesco.

§. 55. Arbitror itaque potentiam Dei secundum nostrum concipiendi modum nihil aliud esse, quam attributum divinum positivum per modum principii exequentis connotantis objectum causabile quod nullam in agente imperfectionem importat. Dico primo attributum. Attributum, ab attribuendo sic dictum, sunt qui dicant esse perfectionem simpliciter, & formaliter divinæ essentiæ quasi in esse secundo, repper- tam formaliter in creaturis per participationem univo-

eam vel analogam. Ita Johann. de Rada subtilis Do-
ctoris subtilis discipulus part. 1. contr. 4. in explanatio-
ne opin. Doct. Sub. notab. 5. Juxta hanc multa à Deo
removerentur attributa v. g. infinitas, immensitas, æter-
nitas] &c. quia hæ perfectiones in creaturis per
participationem formaliter non inveniuntur. Hinc
contra alii dicunt attributa divina nihil aliud esse quam
cōceptus Dei secundarios ex ipsa essentiâ ejus fluētes. Et
hæc posterior acceptio uti usu apud nos magis est rece-
pta, ita etiam illa Deo tribuit quæ in creaturis formali-
ter & participative non reperiuntur. Quid vero pri-
mus Dei conceptus sit, & in quo consistat, de eo vide pro-
lixè differentem B. Slevogt. disp. 14. theor. totâ ubi vari-
is sententiis rejectis illa eligitur, quod sit *to esse à se sub-*
sistens. Dico secundò positivum, quæ vox habet ratio-
nem differentiæ genericæ, & contradistinguitur attri-
butis negativis. Reliqua conceptum proprium & spe-
cificum indignant, & nulla explicatione egent.

§. 56. Atque hæc fuere, quæ in tantâ temporis
angustiâ conceipere de arduâ hâc materiâ potui. Quod
si acumen hinc inde desiderabitur, festinationi, brevi-
tati temporis, meæ imbecillitati, materiæque subtili-
tati ut adscribatur est quod obnixè contendo. Interea
pedem hic figo, & tibi Potentissime Deus immortales
gratias ago, quod differēti de immensâ tuâ potentiâ; po-
tentiam & vires clementissime largiri non dedignatus
es. Toto te deveneror pectore, ut, cujus potentiam
infinitam finitus ego homuncio capere non potui, nec
possum, nec potero, priusquam in cælica Academia
intuitiva cognitione gavisus fuero, tu me recipias be-
nignissime. Interim sit tibi Laus, potentia; honor,
& gloria in secula seculorum.

NU.

NUMINIS, inquiris, QUID, QUÆq; POT
TENTIA summi!
Quis dubitet cœptis NUMEN adesse
TUIS?

Gratulationis ergo appon:

Johannes Musæus, D. & P. P.

Viro Clarissimo

DN. FRANCISCO VVOLFIO,
Phil. Mag. Per-Eximio, SS. Theol.
Stud. felicissimo.

Fautori & Amico meo mihi honoratissimo
cum is

Studiis Philosophicis cum insigni fructu
exactis, & Fundamentis in Theologia egre-
gicè positis ad altiora adspiraret,

*Proponendo Præsidi in Cathedrâ Philosophicâ
luculentum Specimen*

PATRONOS propitios, **FAMAM**q; faventem
pr.

* * *
Judicio multos, plures pietate, labore
Plerosque excellis. Gratulor ista **TIBI!**

Festinantis. f.

GEORG. GOEZIUS, Moral. Prof. Publ.

TE modo sollicitum divina **POTENTIA** ducit,
Esto, juvante Deo, Pectore & ore potens!

quod serio voto precab. Clarissimo. Dn. Præsidi

Philippus Müllerus, P. P.

401

Ad Clarissimum Virum

DN. M. FRANCISCUM VVOLFIIUM,

SS. Theol. Cultorem strenuum

PRAESIDEM hujus disputationis, acumen in-
genii redolentis, dignissimum,

Amicum & Fautorem Perdilectum,

I Mos cum possis Sophia penetrare recessus

Præsidis hinc spartam præbet APOLLO TIBI!

gratul. f.

Johannes Christophorus Hundeshagen / Logices &
Metaphys. Prof. Publ. Ordin.

Inquirant alii rerum non absque labore

Causas inextricabiles,

TE Majora tenent: DIVINA POTENTIA summa

Quid sit? peritè disputas,

Gratulor hisce tuis ausis: optoque potentem

Dei potentis gratiam.

Clarissimo Dno. PRÆSIDI cuvolas evenda appon.

M. Joh. Georg. Bindrim, Megapolit.

Ergo novos, VVOLFII, nunc tandem surgis ad ausus

Impiger, atque animo nil nisi magna paras?

Scandenti Cathedram DIVINA POTENTIA primum

Thema dat, & cœptis omina fausta tuis.

Sic perge ingenii, quas condis, promere dotes,

Et clarum, Sophia Jûdice, nomen habe.

Henningus Leve, Stralsundensis. LL. Stud.

Ad Clarissimum

DN. M. FRANCISCUM WOLFIIUM,

Amicum, Fautorem, & Sympatriotam omnibus nominibus colend.

Siccine jam Cathedram? Quæ præmia laudis, Amice,

Inde feres? Meritis digna SALANA dabit.

Sic sic ergo præcor de Musis perge mereri

Nostris, atque tibi conciliare decus

Nicodemus Richter / Stralsundensis.

Coll. diss. A. 238, misc. 18